



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De Iudæis qui apostatauerunt. lxxxv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

petiit, sic vocante se gratia Dei propriae mentis conuersio-
ne homo quisque credendo saluatur. Ergo non vi, sed libera
arbitrij facultate, vt conuertantur saluandi sunt, non potius
impellendi. Qui autem iam pridem ad Christianitatem co-
acti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi princi-
pis Sisenandi, quia iam constat eos sacramentis diuinis af-
fociatos, & baptismi gratiam suscepisse, & chrismate vn-
ctos esse, & corporis domini & sanguinis ex ita se partici-
pes oportet vt fidem etiam quam vi vel necessitate suscepe-
runt, tenere cogantur, ne nomen domini blasphemetur, fi-
desque quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur.

*Vt Iudaeorum filii baptizati ab eorum consortio se-
parari debeant. Cap. LXXXIII.*

Iudaeorum filios vel filias baptizatos, ne parentum vltra *Ex eod. 5*
involuantur erroribus ab eorum consortio separari de- *cap. 60.*
cernimus, deputatos aut monasteriis, aut Christianis viris,
aut mulieribus Deum timentibus, vt sub eorum conuer-
satione cultum fidei discant, atque in melius constituti, tam
in moribus quam in fide proficiant.

*Vt nulla communio sit Hebraeis ad fidem Chri-
stianam translatis, cum aliis nondum ba-
ptizatis. Cap. LXXXIII.*

Saepe malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quan- *Ex eod. 5*
to magis eos qui ad vitia proni sunt? Nulla igitur vltra *cap. 62.*
communio sit Hebraeis ad fidem Christianam translatis,
cum his qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne fortè eorum
participatione subuertantur. Quicumque igitur amodo ex
his qui baptizati sunt infidelium consortia non vitauerint,
& hi Christianis donentur, & illi publicis caedibus depu-
tentur.

De Iudaeis qui apostatauerint. Cap. LXXXV.

Perique qui ex Iudaeis dudum ad Christianam fidem pro- *Ex eodē*
mori sunt, nunc blasphemantes Christum, non solum *cōcilio. 5.*
Iudaicos ritus perpetrasse noscuntur, sed etiam & ab omi- *cap. 59.*
nandas circuncisiones exercere noscuntur. De quibus, con-
sultu pissimi ac religiosissimi domini nostri Sisenandi re-
gis, hoc sanctum decreuit conciliū, vt huiusmodi transgres-
sores pontificali autoritate correcti, ad cultū Christiani do-

gmatís reuocentur, vt quos voluntas propria non emendat, animaduersio sacerdotalis coerceat. Eos autem qui circumciderunt, si filij eorū sunt, à parentū consortio parētur, si serui, pro iniuria corporis sui libertati tradantur.

De seruis Iudæorum. Cap. LXXXVI.

Ex eodē. 13. ca. 9. **I**tem vt si Iudæorum serui necdum conuersi ad Christianitatem gratiam conuolauerint, libertati donentur.

De mancipiis Iudæorum quæ ad baptismum confugiunt. Cap. LXXXVII.

Ex concil. apud Aruernen. cap. 30. **L**icet prioribus canonibus iam fuerit definitum, vt mancipiis paganis quæ apud Iudæos sunt si ad Christianitatem confugerint, & baptismum petierint, etiam ad quoscumque Christianos refugerint, taxato, & oblato à liberis iusto precio ab eorum dominio liberentur: ideò statuimus hoc, vt tam iusta constitutio, ab omnibus catholicis obseruetur.

Item de mancipiis Iudæorum, aut Christianis, aut ad fidem Christianam venire desiderantibus.

Caput LXXXVIII.

Ex concil. Matiscē. cap. 16. **P**ræsenti concilio Deo autore sancimus, vt nulli Christianum mancipium Iudæo deinceps seruiat, sed tantis pro quolibet bono mancipio duodecim solidis, si mancipium quicumque Christianorum, seu ad ingenitum, seu ad seruitium licentiam habeat redimendum, Christianum fieri desiderat & non permittitur, similiter faciat: quia nefas est, vt quod Christus dominus sanguine sui effusione redemit, blasphemum Christianæ religionis in vinculis tenere. Quòd si ad quiescere his quæ statutum est quicumque Iudæus noluerit, quàm diu ad pecuniam constitutam venire distulerit, liceat mancipium ipsum Christianis vbicumque voluerit habitare.

De illis qui de hæresi ad fidem venire desiderant. Caput LXXXIX.

Ex concil. Aralatē. cap. 9. **S**i ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogatus de Symbolo, & si viderint eum in patre, & filio, & spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponantur, vt accipiat spiritum sanctum.